

2487

C O D I C E S

2488

manu, nitide tamen perscriptus titulum praefert: *Incipit Libellus De Disciplinis Nouiciorum*. Initium est: *Iam dies erat secunda ex quo ueni ad monasterium cuius in primis memini &c.* Monasterium istud *Hirsaugiense* est, ad quod ab Abbate suo *Cluniacensi* ad Regem *Alemanniae* missus Autor noster *Udalricus* illustri genere *Ratisbonae* ortus divertit, rogatusque a Loci Praefule *Wilhelmo* conscripsit Libris III. *Consuetudines Cluniacenses*, quarum hoc Codice solus *Secundus* et initium *Tertii* continetur. Integras edidit e Codicibus nostro recentioribus *Lucas Dacherius Spicil.* T. IV. p. 21. 4. et iterum T. I. p. 641. f. cujus Praeloquium, si lubet, adi. In Nostro varia partim vetustate, partim data etiam opera deleta sunt, quae per errorem scripta. *Capitulum* alia divisio; dum enim *Dacherius XXXVII.* nos *XLIII.* numeramus. C. I. melius legimus: *ac si apud nos fecissent*, quam *Impressa: fuissent*; item: *tyrociniobristi assignatur*, quam: *insignitur*. Caput IV. *De Signis loquendi* (nobis V.) prolixius est in Codice 10. ipsis paginis; adjiciuntur enim Signis *Victus* Signa plurimarum aliarum Rerum et Actionum silentii tempore facienda. Augmentum istud interjectum est inter verba *fol. 7. p. 2. acrimonia sentitur*, et inter verba *fol. 12. p. 2. Plura sunt, quae adhuc dicere possem.* Hoc etiam Capite *fol. 7. pro Rufeolis* five *Placentis* habetur *συωνυμων* teutonicum *Craphones* (*Krapfen*) melius ita exaratum, quam

in margine *Dacherii Crafones*, qui in textu erronee *Cratones* habet. Ad calcem habet Noster: *Explicit Libellus Secundus. Incipit Tertius.* At vero Tertius hic post Praefationem jam in his C. I. verbis abrumpitur: *Beatus autem pater Odilo rogatus in extremis suis. quid sibi de successore uideretur. non adqueiuit ad hoc quemquam nominare.* Est hic celebrer ille *Cluniacensium* Abbas, de quo *Mabilonius* in *Abis SS. O. B. Sec. VI.* P. 1. p. 678. et *Hist. Franciae* lit. T. VII. p. 414. qui cum anno 1049. vitam clauferit, de tempore conjici potest, quo *Udalricus* noster *Consuetudines* suas chartis mandaverit. Meminit ejus *Anonymus Mellic.* c. 110. in *Fabricii Bibl. Eccl.* p. 157. eique *Fabricius* ibi annum 1070. adponit. cum vero *Wilhelmo* Abbati *Hirsaug.* cujus rogatu *Udalricus* laborem adgressus est, eodem loco annum 1090. tribuat, annus alteruter vacillare videtur. — Codicis nostri quaedam Spatia vacua *Prosis* de *S. Nicolao* et nato *Servatore* repleta sunt.

DCLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 82s
Folior. 86. 8. caractere crassiusculo currente scriptus et rubricis distinctus incipit: *Nota quod in isto libello continentur notabilia capitula regule sancti Benedicti magis valencia pro instructione nouiciorum ac fratrum subditorum &c.* Eorum itaque *Elenchus* sequitur, quem excipit *Probemium regule. Auscul-*
ta

ta o fili precepta magistri &c. et ad calcem Elenchus Capitulorum omifforum, quae videlicet ad Novitios et Subjectos minus pertinent.

Fol. 39. eodem modo praemittitur: Nota quod in subscriptis continentur statuta ordinis fratrum Coelestinorum incipiendo a capitulo XIII. usque ad finem &c. Priora Capita ob eandem rationem omiffa sunt. Sequitur Elenchus, et Incipit prologus super statuta secundum ordinem fratrum Coelestinorum. Homo ad similitudinem dei factus illi se debet in sui novitate spiritus reformare &c. Capitulum ult. est de penis et remissionibus, sed scriptor laborem abruptum videtur. Ceterum *Εγχαίδια* haec sunt, quod Jesuitis Regulae Summarii et Communes fuere, et primum quidem habetur Cod. Regularum Lucae Holstenii aucto a Mariano Brockie O. S. B. T. I. P. 2. edit. Aug. Vindel. 1759. p. 113. f. Alterum autem in tota illa Collectione VI. Tomis constante non comparet; quae enim ibi T. IV. p. 476. leguntur Constitutiones Coelestinorum prorsus diversae sunt, neque, an alibi impressa sint, quae Codex Statuta vocat, novi. Ordinem porro Coelestinorum Congregationem esse Hominum Institutum Benedictinum professorum conditam Sec. XIII. a Petro de Murrone, qui postea Coelestinus V. Pont. Rom. fuit, norunt Historiae ecclesiasticae cultores. Num e tot religiosorum Ordinum reformationibus et subdivisionibus Ecclesia hac circumdata varietate

multum splendoris acceperit, pacique et exemplo publico ample consultum fuerit, non est hic discutendi locus.

Folio Codici praetexto inscripta est pereleganti manu Professionis religiosae Formula, qua se Frater Benedictus Chramer de Grünenbergk Sacerdos wratislaviensis dioc. anno 1498. in manus Fratris Andree de freynstat prioris devotet monasterio Sancti spiritus Montis paracliti de Oywin, quod Monasterium Lusatiae prope Zittaviam prima fuit Coelestinorum in Septentrione colonia ex Italia deducta a Carolo IV. Imp. post Sec. XIV. medium. Ejus fata e Scriptoribus collecta habes in magno Lexico universali T. XXV. p. 2570. Codicem inde ad nos venisse, pronum est.

DCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 614 XVI. Folior. 17. 4. est: Oratio domini Joannis tritemij abbatis spanhemensis habita in capitulo annali: kl. septembris. Anno domini: 1499. Initium: Quocienscunque ad peragendam hanc synodum vos convenisse patres reuerendi contueor: tociens noua quadam et incredibili mentis leticia perfundor &c. Minuit tamen hanc laetitiam, quod sequitur: Nonne septuaginta quinque ordinis nostri (Benedictini) pastores ad huius synodi celebrationem vocati sunt? Et nunc XL. ubi sunt? Quare non venerunt? Putafne omnium cause absentium tanquam legitime admittende sunt?